

testimoniū, quo indicabant pii confessores sese Christo regi operam militarem navare, & diaboli ac satellitum illius hostes juratos esse: cumq; credentes hac fidei professione ceu signo castrensi in castris militantis Ecclesiæ sese mutuo agnoscerent, & ab adversorum castrorum militibus separarent, *σύμβολον* dicta fuit. Quod nomen in Patribus qui post Nicenam Synodum scripsere admodum frequens, in antiquioribus verò à nobis non fuit, in hac quidem materia, observatum.

V. Etsi verò & hoc concedamus in isto Symbolo præcipua fidei capita collecta esse, unde à collectis convivialibus quidam nomen deductum censent: attamen præcedens appellationis ratio & nomini, alias enim *συμβολή* secundum classicos authores omnes (teste ipso *Henrico Stephani* licet posteriorem derivationem præferente) non *σύμβολον* dicendum foret, & rei ipsi, ceu ex dictis patet, magis congruit.

VI. Incertum enim an statim ab Ecclesiæ primordio totidem verbis conceptum fuerit, atq; jam in Ecclesiis recitatur: aliter omninò ab *Irenæo*, l. 1. c. 2. & l. 3. c. 4. aliter à *Tertulliano de præscript.* p. 73. & 83. & *de velandis virgin. ab init.* p. 385. aliter ab *Origene* l. 1. *Ἐπι ἀρχῶν in proem.* refertur: & cum bis ab *Irenæo*, ter à *Tertulliano* proferatur, semper variatis verbis fit & sententiis: quin ne posterioribus quidem seculis planè invariatum Symbolum legimus, quod ad oculum patebit, si quis *Ruffinum in Exposit. Symboli, Epiph. Hæres.* 72. ante med. *Max. Hom. de Symb. Bib. Pat. T. 5. part. 1. Petrum Chrysologum Ser. 26. Bib. P. T. 5. par. 11.* aliosq; secum invicem conferat.

VI. Fatetur id *Ruffinus in Expos. Num. 3. in quibusdam nempe locis propter hæreticos quedam addita:* & cum ipse recitet & exponat Symbolum, ita ut Aquileiensi habebatur Ecclesia, omittit in I. Art. creationem: in II. conceptionem, passionem, mortem, & Epitheton omnipotentis patris alioqui additum: in III. Sanctorum communionem & vitam æternam. Sic articulum de descensu ad Inferos multos doctores, imò integras Ecclesias omisisse notum est. Quod omninò fieri

nò fieri